

PONTIFICIUM CONSILIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS

# COMMUNICATIONES

VOL. XXXIV - N. 1

---

2002

# COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILII  
DE LEGUM TEXTIBUS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 1

Semestrale

IUNIO 2002

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

## EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Litterae Apostolicae Motu Proprio datae quibus de sacramento paenitentiae celebrationem quaedam rationes explicantur ( <i>Misericordia Dei</i> ) . . . . .	3
Epistula: Venerabili Fratri Licinio Rangel dilectisque Filiis Unionis Sancti Ioannis Mariae Vianney Camposinae in Brasilia . . . . .	11
Allocutio Summi Pontificis ad Auditores, Administros, Advocatosque Rotae Romanae coram admissos . . . . .	13
Ex Allocutione ad eos qui in Assemblea Generali Academiae Pontificiae pro Vita partem habuerunt . . . . .	19

## EX ACTIS CONSILII

QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE . . . . .	24
RELATIONES CUM IURIS CANONICI STUDIOSIS . . . . .	25
Allocutio Exc.mi Praesidis apud Universitatem Catholicam Mediolanensem « <i>Il Diritto Canonico, Perché?</i> » habita . . . . .	25

## EX ACTIS SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM . . . . .	46
Decretum quo <i>Regulae Servandaes</i> ad nullitatem sacrae Ordinationis declarandam foras dantur . . . . .	46
CONGREGATIO PRO EPISCOPIS	
Decretum de Administratione Apostolica personali « Sancti Ioannis Mariae Vianney » condenda . . . . .	57

## EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio XII) . . . . .	61
Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio XIII) . . . . .	82
Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio XIV) . . . . .	119
OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA . . . . .	146

## Ex Actis Pont. Comm. CIC Recognoscendo

### COETUS STUDIORUM « DE MATRIMONIO »

#### Sessio XII<sup>a</sup>

(dd. 8-13 februarii 1971 habita)

Diebus 8-13 februarii 1971, in Aula sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus studiorum ad recognoscendas normas CIC de Matrimonio.

Interfuerunt Exc.mi Schneider, Lourdusamy et Casoria; Ill.mi ac Rev.mi Anné, Fagiolo, Quinn, Garcia Barberena, Cremin, Che, et Flatten; Rev.mi PP. Huizing et Leclerc; et Cl.mus Giacchi.

Praesentes quoque erant Rev.mus P. Bidagor, Secretarius Generalis Commissionis et Rev.mus Voto, a studiis eiusdem Commissionis.

Rev. P. Huizing functus est munere Relatoris et Rev.mus Voto munere actuarii.

Primae et nonae adunationibus praefuit Cardinalis Praeses; caeteris adunationibus praefuit Rev.mus P. Bidagor.


In praesenti Sessione examinatae sunt quaestiones de forma canonica matrimonii.

Sequentes Consultores votum de his quaestionibus paraverunt: Exc.mi Schneider Lourdusamy et Bank et Rev.mi Fagiolo, Damizia, Quinn, Chen, Barberena, Cremin, Che, Flatten, et Leclerc.

Rev.mus Relator supra vota Consultorum Relationem apparavit et schema canonum redegit.

#### Adunatio I<sup>a</sup> die 8 februarii 1971 – mane habita

Huic adunationi praeest Cardinalis Praeses qui salutem dicit Consultoribus et quaerit num ipsis placeat relatio laborum XI<sup>a</sup> Sessionis sive quod attinet ad veritatem, sive quod attinet ad integritatem eorum quae referuntur.



Omnes Consultores Relationem approbant: tantum Exc.mus primus Consultor haec animadvertisit: textus can. 1097 ita praebetur in Relatione: «Assistens matrimonio illicite agit nisi: 1°... 2° constito sibi de libero statu contrahentium ad normam iuris». In hoc textu scilicet abest formula n. 1° et in corpore relationis asseritur approbationem talis n. 1° dilatam fuisse, quod non videtur esse verum. Reapse formula approbata fuit et ita legitur: «1° parochus vel Ordinarius loci matrimonii licentiam dederit, si assistens agit vi delegationis generalis».

Actuarius respondit approbationem plenam illius n. 1° non habitam fuisse. Formula enim approbata fuit *cum modo* et discussio suspensa fuit quando excutiebantur quaestiones circa illum modum ortae.

Claritatis causa actuarius recolit formulam quae proposita fuit, scilicet: «Assistens matrimonio illicite agit nisi: 1° parochus vel Ordinarius loci matrimonii *pro singulis casibus* licentiam dederit si assistens agit vi delegationis generalis». Formula ab omnibus admittebatur et tantum quaestio erat de verbis «*pro singulis casibus*». Suffragatio facta fuit circa suppressionem horum verborum et exitus suffragationis fuit: placet 13; placet iuxta modum 4.

Cum autem excutierentur variae quaestiones ortae ex hoc modo, discussio suspensa fuit. Ideo non videtur approbationem plenam formulae habitam fuisse.

Cum ipse Rev.mus Relator concordet cum actuario, resumitur quaestio de redactione et approbatione illius n. 1 can. 1097 et argumenta denuo a Consultoribus proponuntur pro et contra suppressionem verborum «*pro singulis casibus*».

Tandem Rev.mus Relator petit num placeat ita can. 1097 redigere:

«Assistens matrimonio illicite agit nisi:

1° a parocho vel ab Ordinario loci matrimonii licentiam obtinuerit, quoties vi delegationis generalis agit;

2° constito sibi etc... (prout in Sess. praecedenti) »:

Placet 10; abstinet a sententia ferenda 1.

Deinde Rev.mus Relator proponit ut compleatur redactio can. 1098 cuius § 2 in Sessione praecedenti non approbata fuit. In Sessione praecedenti formula § 2 ita proposita fuit:

«Extra mortis periculum, si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo assistens ad normam cann. 1095, 1096, matrimonium valide et lice te contrahitur coram solis testibus, dummodo:

1° prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem daturam;

2°... ».

In Sessione praecedenti Consultores concordes non fuerunt circa tenorem secundae conditionis in § 2 ponendae. Rev.mus Relator tamen meminit aliqualem concordiam habitam fuisse circa aliam conditionem ita dicentem: «dummodo recursus, si fieri possit, ad loci Ordinarium omissus non fuerit».

Quaerit ergo Rev.mus Relator ut discussio fiat utrum placeat hanc aliam conditionem ponere in canone necne.

Cardinalis Praeses notat verba «si fieri possit» componi non posse cum verbo «dummodo» quod habetur in eodem commate. Forsan melius tota formula § 2 ita redigi posset: «Extra mortis periculum si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo assistens ad normam cc. 1096, 1096, neque recursus ad Ordinarium loci omissus fuerit, matrimonium valide et licite contrahitur coram solis testibus, dummodo prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem dataram».

Rev.mus Secretarius dicit hunc canonem continere debere conditiones tales quae difficilem reddant recursum ad formam extraordinariam, secus sponsi induci saepe possent ad seligendam formam extraordinariam pro celeratione matrimonii.

Rev.mus quintus Consultor censet quod conditio proposita de obligatione recursus ad Ordinarium non habet vim dissuasivam ne forma extraordinaria eligatur.

Tamen, dicit Rev.mus Secretarius, talis recursus possibilitatem praebet Ordinario loci invigilandi in hac materia.

Rev.mus septimus Consultor proponit ut dicatur «si recursus *ex dolo* omissus non fuerit».

Relator perdifficilem sentit redactionem clausulae quae omnes abusus praeveniat et difficultates tollat. Ideo aptiorem censet formulam negativam quae modo generaliore provideat contra abusus. Proponit itaque ut dicatur: «...et matrimonium non contra Ordinarii vetitum celebretur».

Rev.mus Secretarius monet neque per hanc novam clausulam difficultates solutum iri, quia Ordinarius tandem aliquando legem particularem facere deberet qua ediceret *formam extraordinariam vetari nisi...* etc. Hoc modo nostra difficultas inveniendi aptiorem clausulam iuri particulari transmitteretur. Rebus omnibus perpensis, dicit Rev.mus Secretarius, melius est servare formulam prout est in CIC.

**Adunatio II<sup>a</sup>**  
**die 9 februarii 1971 – mane habita**

Examinatur propositio Rev.mi Secretarii servandi conditiones quae habentur in CIC pro celebratione matrimonii forma extraordinaria extra mortis periculum.

Propositio autem non placet (Placet 1; non placet 9).

Relator petit ut suffragetur num placeat haec conditio in canone ponenda: «dummodo haec forma non adhibeat in fraudem legis».

Placet 3; non placet 6; abstinet a sententia ferenda 1.

Deinde Rev.mus Relator proponit hanc formulam:

«Extra mortis periculum, si sine gravi incommodo haberri vel adiri nequeat assistens ad normam cann. 1095, 1096 et recursus ad Ordinarium loci fieri nequeat, matrimonium valide et licite coram solis testibus contrahitur, dummodo prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam».

Rev.mus secundus Consultor petit quinam iudicare debeat de impossibilitate faciendi recursum ad Ordinarium.

Rev.mus tertius Consultor dicit conditionem recursus ad Ordinarium ponendam esse ad liceitatem, secus haberri posset hic casus quod scilicet assistens haberri vel adiri nequit, tamen recursus fieri potest et tunc quid faciendum?

Exc.mus primus Consultor censet quod sive recursus requiratur ad validitatem sive requiratur ad liceitatem, semper tamen oportet statuere terminum pro responsione Ordinarii, quo transacto, forma extraordinaria adhiberi possit.

Suffragatur utrum placeat formula proposita a Rev.mo Relatore:

Placet 4; non placet 6.

Rev.mus Relator dicit formam extraordinariam concessam esse ab Ecclesia ad bonum spirituale, ideo, ne sponsi utantur hac forma ob alias causas, canon ita redigi posset: «Extra mortis periculum, si haberri vel adiri nequeat assistens... et *matrimonium necessarium sit ad bonum spirituale...*».

Rev.mus tertius Consultor animadvertisit quod numquam excludi potest bonum spirituale, etiam quando alia bona prosequuntur.

Exc.mus primus Consultor censet quod tota quaestio non iam tantam considerationem meretur postquam novi canones approbati sunt, qui disciplinam de forma canonica faciliorem reddunt. Cum enim possilitas delegationis generalis data sit et etiam sanatio matrimonii, contracti assistente sacerdote vel diacono sine delegatione, ex iure statuta sit, merito praevideri potest quod casus celebrationis matrimonii forma extraordinaria in futuro paucissimi erunt. Quare disciplina formae extraordinariae extra mortis periculum retineri potest prout est in CIC.

Suffragatur utrum placeat retinere disciplinam CIC necne:

Placet 8; non placet 1; placet iuxta modum 1.

*Modus:* formula Codicis emendetur ad sensum responsonis Commissionis pro interpretatione Codicis, scilicet: «...dummodo *ex notitia vel ex inquisitione* praevideatur illam rerum conditionem esse per mensem duraturam» — placet 3; non placet 7.

Rev.mus Relator petit num statuenda sit aliqua poena contra sacerdotem vel diaconum qui assistunt matrimonio sine delegatione ad normam can. 1096 ter, vel votum faciendum sit Coetui de iure poenali ut talem poenam statuat.

Fere omnes Consultores excludunt opportunitatem talis poenae statuenda sive in iure poenali sive in hac parte iuris matrimonialis. Sufficit, dicunt ipsi, ut appareat illos illicite agere. Iamvero ex cann. 1096 et 1097 clare apparent illiceitas assistantiae sine delegatione.

Adunatio III<sup>a</sup>  
die 9 februarii 1971 – vespere habita

Rev.mus Relator quaerit utrum servanda sit norma can. 1097 § 2 CIC statuentis regulam celebrationis matrimonii coram parocho sponsae, nisi iusta causa excuset.

Rev.mus Secretarius censet talem regulam coniunctam esse cum alia quaestione de iuribus stolae tuendis. Cum autem tendentia notetur circa suppressionem iurium stolae, non iam necesse est illam regulam in novo Codice retinere.

Exc.mus quartus Consultor concordat cum Rev.mo Secretario. At Rev.mus secundus Consultor censet illam normam servari posse quin aliqua connexio cum quaestione iurium stolae impliceretur; imo valde conve-

niens est si illa norma servetur quia in multis regionibus respondet moribus peculiaribus populi. Norma ita redigi posset: « Ubi plures sunt parochi competentes servetur mos celebrandi matrimonium in paroecia sponsae, nisi iusta excuset ».

Suffragatur utrum placeat retinere talem normam in novo Codice necne:

Placet 2; non placet 8.

Tandem Relator quaerit utrum placeat supprimere normam can. 1097 § 3 CIC circa iura stolae necne:

Omnibus placet.

*Can. 1099* (quinam formae caonicae subiificantur):

Relator duas formulas proponit et petit ut Consultores seligant formulam quam ipsi ut basim discussionis habere volunt.

*Prima formula:*

Ad statutam superius formam servandam tenentur:

1º Baptizati qui Ecclesiae catholicae (sive a recepto baptismate sive postea) adscripti sunt, si inter se matrimonium ineunt (, quamdiu Ecclesiae adscripti manent);

2º Idem (de quibus supra), si cum baptizatis Ecclesiae catholicae non adscriptis (aut: baptizatis forma canonica non adstrictis) aut cum non baptizatis (etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus) matrimonium ineunt, salvis praescriptis nn. 3 et 4;

3º Si in casibus de quibus n. 2, graves difficultates formae canonicae servandae obstent, Ordinariis locorum ius est dispensandi ab ea; Conferentiae autem Episcoporum est normas statuere, quibus predicta dispensatio concordi ratione ac licite, salva tamen aliqua publica forma celebrationis, concedatur.

4º In matrimonio celebrando inter partem catholicam, sive ritus orientalis sive ritus latini, et partem acatholicam ritus orientalis, forma canonica observanda est ut actus sit latus; at ea non observata matrimonium valet, dummodo contrahatur coram ministro sacro legitime deputato.

*Secunda formula:*

Ad statutam superius formulam tenentur:

1º Baptizati qui Ecclesiae catholicae (sive a recepto baptismate sive postea) adscripti sunt vel fuerunt, si inter se matrimonium contrahunt (aut: ineunt); nisi ab adepto rationis usu (aut: ab anno decimo quarto impleto; aut: ab infanthia) extra eam educati fuerint vel post adeptum rationis usum (aut: post annum decimum quartum impletum) ab ea formaliter actu (aut: declaratione proprio parocho in scriptis data) defecerint, ned ad eam reverti fuerint;

2º...3º...4º... ut supra.

Habetur brevis discussio ex qua apparet Consultores preferre secundam formulam tamquam basim discussionis. Deinde fit suffragatio utrum placeatne examinare secundam formulam:

Placet 9; abstinet a sententia ferenda 1.

Circa hanc formulam sequentes quaestiones habentur:

1. «*Baptizati qui Ecclesiae catholicae adscripti sunt vel fuerunt, si inter se matrimonium contrahunt*».

Rev.mus quintus Consultor proponit ut attente consideretur num, post Concilium Vat. II et post *Matrimonia mixta*, adhuc imponenda sit ad validitatem forma canonica etiam illis qui in Ecclesia catholica adscripti fuerunt, praeter illos qui actu ad Ecclesiam pertinent.

Rev.mus Secretarius censet vitandas esse in canone locutiones aequivalentes quales sunt «qui actu pertinent ad Ecclesiam» vel «qui adscripti sunt».

Rev.mus sextus Consultor dicit se preferre locutionem «qui adscripti sunt» quia indicat notam adhaesionis formalis in sensu activo et dynamico.

Relator proponit ut adhibeantur eadem verba can. 1038 bis (de subiecto impedimentorum) et dicatur: «Baptizati in Ecclesia catholica vel in eam recepti, si inter se matrimonium ineunt». Propositionem Rev.mi Relatoris omnibus placet.

2. «*nisi ab adepto rationis usu (aut: ab anno decimo quarto impleto; aut: ab infanthia) extra eam educati fuerint*»:

Consultores substantialiter hanc conditionem approbant tamen plures sunt modalitates ab ipsis propositae.

- nisi ab adepto rationis usu extra eam educati fuerint (Exc.mus quartus Consultor);
- nisi ab infantia extra eam etc. (Rev.mi tertius, septimus, octavus et nonus Consultores);
- nisi post adeptum rationis usum alii Ecclesiae formaliter adhaeserint (Rev.mus quintus Consultor);
- nisi ab infantia in alia ecclesia vel sine religione educati fuerint (Rev.mus nonus Consultor);
- nisi omnimodo extra ecclesiam educati fuerint (Rev.mus tertius Consultor);
- nisi ab usu rationis nullo modo in Ecclesia catholica educati fuerint (Rev.mus sextus Consultor).

Rev.mus undecimus Consultor putat notionem educationis esse nimis latam.

Exc.mus primus Consultor proponit formulam quae simul comprehendat omnem defectionem ab Ecclesia catholica sive ex formali actu voluntatis, sive ex educatione provenientem. Conditio ita exprimi posset: «dummodo momento matrimonii ab ea non defecerint».

**Adunatio IV<sup>a</sup>**  
**die 10 februarii 1971 – mane habita**

Rev.mus Relator proponit ut Consultores considerent formulam propositam a Exc.mo primo Consultore, scilicet: «dummodo momento matrimonii ab ea non defecerint».

Rev.mus tertius Consultor notat quod ille qui ab infantia extra ecclesiam educatus sit, semper pertinet ad Ecclesiam, nisi aliquo actu formali ab ipsa defecerit. Hic casus non comprehenditur in formula Exc.mi primi Consultoris, et tamen fere omnes Consultores non volunt formam canonicam imponere illis qui ullam educationem catholicam habent.

Rev.mus Secretarius, cui consentiunt Rev.mi secundus et undecimus Consultores, censet notionem educationis esse nimis vagam, cui difficulter ligari possunt effectus in campo iuridico. In concreto per difficile evaderet determinare circumstantias, quibus positis, concludi posset hunc vel illum hominem educatum fuisse extra Ecclesiam catholicam.

Rev.mus septimus Consultor autem censet dari circumstantias, quae si per totam infantiam protrahantur (e.g., scholae, religio et mores parentum etc.), iam ullum dubium admittunt circa factum «educationis extra Ecclesiam catholicam».

Rev.mus decimus Consultor dicit factum educationis nostris temporibus iam attendi non posse ut sequelae iuridicae ipsi adnecti possint. Vivitur in societate «pluralista» in qua scholae indolem laicam habent et conditiones familiares diversissimae sunt. Melius est si tantum defectio formalis ab Ecclesia attendatur pro canone redigendo.

Relator proponit hanc expressionem: «nisi publice ab Ecclesia defecerint».

Rev.mus tertius Consultor instat ut etiam illi qui extra Ecclesiam catholicam educati sunt excludantur ab obligatione formae canonicae. Agitur enim de personis qui, etsi in Ecclesia catholica baptizatae, tamen subjective nullo modo Ecclesiae catholicae adhaerent et saepe nullam scientiam de illa obligatione formae canonicae observandae habere possunt. Et via ad matrimonium validum claudi non debet.

Rev.mus secundus Consultor, qui disciplinam CIC retinere vult, dicit, contra Rev.mum tertium Consultorem, illa matrimonia non esse nulla, si bona fide contrahuntur. Sed Rev.mus tertius Consultor notat hic agi de validitate vel invaliditate coram lege, quando illa matrimonia veniunt ad forum ecclesiasticum.

Suffragatur utrum factum educationis attendi debeat pro canone redigendo necne:

Placet 3; non placet 6.

Examinatur ergo propositio Rev.mi Relatoris: «nisi publice ab Ecclesia defecerint».

Rev.mus Secretarius petit ut determinetur num sub nomine «defectionis publicae» veniat tum defectio formalis tum defectio virtualis.

Rev.mus tertius Consultor censet propositionem Rev.mi Relatoris admetti non posse, quia notio *publicae* defectionis non iuvat claritati et certitudini huius legis. Nam sufficit ut quis non colat vitam christianam ut iam de ipso dici possit publice defecisse. Quare melius est dicere «nisi formaliter actu ab Ecclesia defecerint».

Rev.mus secundus Consultor proponit ut dicatur tantum «nisi ab Ecclesia defecerint» ita ut includantur et qui formaliter actu defecerunt, et qui extra Ecclesiam educati fuerunt, et qui in praxi ita vivunt ut considerari possint extra Ecclesiam.

Rev.mus undecimus Consultor notat per propositionem Rev.mi secun-

di Consultoris perplures baptizatos catholicos exemptum iri a forma canonica sine causa sufficienti.

Exc.mus primus Consultor et Rev.mus Relator autumant « publicam defectionem » esse aliquid medium inter « formalem defectionem » et illam quae dici posset « putativa defectio ». Comprehendit scilicet illos qui formaliter vel virtualiter defecerunt, sed non illos qui, etsi non bene vivant, tamen catholicos considerari volunt.

Rev.mus sextus Consultor proponit ut dicatur: « nisi publice et notorie ab Ecclesia defecerint ».

Rev.mus septimus Consultor autem proponit: « nisi actu formali vel notorie defecerint ».

Rev.mus tertius Consultor timet ne per illud « notorie defecerint » comprehendantur etiam illi qui non colunt vitam christianam, qui tamen numquam admitterent se defecisse ab Ecclesia.

Rev.mus Secretarius autumat multum interesse inter illum qui non colit vitam christianam et illum qui « notorie defecit ».

His dictis sequentes suffragationes habentur:

– utrum placeat « nisi publice ab ea defecerint » necne:

Non placet 10.

– utrum placeat « nisi actu formali ab ea defecerint » necne:

Placet 3; non placet 7.

– utrum placeat « nisi actu formali et notorie defecerint ab ea » necne:

Placet 8; non placet 2.

– utrum eximendi sint illi qui extra Ecclesiam educati fuerunt necne:

Placet 5; non placet 5.

**Adunatio V<sup>a</sup>**  
**die 10 februarii 1971 - vespere habita**

Deinde examinatur n. 2 qui habetur in formula can. 1099 proposita a Relatore, scilicet: « 2º Idem, (de quibus supra) si cum baptizatis Ecclesiae catholicae non adscriptis (aut: baptizatis forma canonica non adstrictis) aut cum non baptizatis (etiam post obtentam dispensationem ab impedimento

mixtae religionis vel disparitatis cultus) matrimonium ineunt, salvis praescriptis nn. 3 et 4».

Habita inter Consultores aliqua discussione ad perpoliendam hanc formulam, Rev.mus secundus Consultor proponit ut hic n. 2 penitus supprimatur, quia tandem aliquando nihil continet nisi aliquam casisticam ex principio n. 1 depromoptam. In n. 2 enim declaratur quod si alterutra pars tenetur ad formam, matrimonium celebrandum est in forma canonica: declaratio omnino inutilis si in n. 1 iam dictum sit quod omnis baptizatus in Ecclesia catholica tenetur ad formam canonica, nisi...

Rev.mus septimus Consultor petit ut formula canonis evolvatur per varios numeros, sicut in formula proposita a Rev.mo Relatore. Plures autem Consultores concordant cum Rev.mo secondo Consultore et ideo aliqui Consultores volunt n. 1 melius redigere, suppresso n. 2.

Ex.mus primus Consultor proponit hanc formulam n. 1: «Statuta superius forma servanda est si saltem alterutra pars est in Ecclesia catholica baptizata vel in eam recepta, nisi actu formalis vel notorie ab ea defecerit nec ad eam reversa fuerit».

Rev.mus tertius Consultor vero proponit: «Forma superius statuta *ad matrimonii validitatem* necessaria est si saltem alterutra pars baptizata in Ecclesia catholica vel in eam recepta est, nisi etc...».

Rev.mus Relator, contra Rev.mum tertium Consultorem, notat verba «ad validitatem» retineri non posse quia in praecedentibus canonibus de forma quaedam statuta sunt ad validitatem, quaedam vero ad liceitatem tantum. Rev.mus Relator proponit hanc formulam: «Ad statutam superius formam tenetur baptizatus in Ecclesia catholica vel in eam receptus, cum quacumque parte matrimonium ineat, nisi etc...».

Sumitur formulae Exc.mi primi Consultoris quae tamen perpolienda est, quia, prout iacet, hoc praebet inconveniens quod, etiamsi una tantum pars ab Ecclesia defecerit, iam ad formam non tenetur neque alia pars quae non defecit ab Ecclesia. Ideo Rev.mus tertius Consultor proponit ut formula ita emendetur: «Statuta superius forma servanda est si saltem alterutra pars est in Ecclesia catholica baptizata vel in eam recepta, nec ab ea formaliter aut notorie defecerit, nisi ad eam reversa fuerit».

Rev.mus Relator approbat emendationem Rev.mi tertii Consultoris at-tamen vellet «*nec* ad eam reversa fuerit» loco «*nisi* ad eam reversa fuerit». Exc.mus quartus Consultor autumat integrum comma «*nisi* (vel *nec*) ad eam reversa fuerit» supprimi posse, quia iste casus iam includitur in verbis «vel in eam recepta» eiusdem formulae.

Rev.mus tertius Consultor putat ultimum comma «*nisi* ad eam reversa

fuerit» non esse superfluum qui designat casum alicuius qui recedit ab Ecclesia et postea ad ipsam revertit.

At Exc.mus primus Consultor, contra Rev.mum tertium Consultorem, notat quod etiam qui pluries revertit semper includitur in verbis «vel in eam recepta».

Tandem Rev.mi septimus et quintus Consultores instant ut can. 1099 evolvatur per plures numeros, secundum idem schema classicum CIC.

Sed Rev.mus Secretarius respondit hanc mutationem classici schematis CIC non ex arbitrio provenire sed ex eo quod intenditur eximere a forma canonica eos qui ab Ecclesia defecerint: quae quidem exemptio in CIC non habebatur.

His dictis, committitur Exc.mo primo Consultore ut integrum formulam can. 1099 redigat, secundum ea quae iam deliberata sunt. Consultores praeterea volunt ut can. 1038 bis, de subiecto impedimentorum iuris ecclesiastici, conformatetur novae redactioni can. 1099.

**Adunatio VI<sup>a</sup>**  
**die 11 februarii 1971 - mane habita**

Exc.mus primus Consultor praebet Consultoribus formulam can. 1099:

«§ 1. Statuta superius forma servanda est, si saltem alterutra pars matrimonium contrahentium in Ecclesia catholica baptizata vel in eandem recepta est nec actu formali aut notorie ab ea defecit, salvis praescriptis §§ 2 et 3.

§ 2. Si eadem pars catholica, de qua supra, sive sit ritus orientalis sive ritus latini (vel: etsi sit ritus latini), matrimonium contrahit cum parte acatholica ritus orientalis, forma supra memorata servanda est tantum ad liceitatem; matrimonium autem valet, dummodo iniatur coram ministro sacro legitime deputato.

§ 3. Quoad matrimonium mixtum inter partem catholicam de qua supra in § 1 et partem acatholicam sive baptizatam sive non baptizatam, si graves difficultates formae canonicae servandae obstent, Ordinariis locorum ius est, secundum quidem normas a Conferentia Episcoporum statutas, ab eadem forma dispensandi, salva tamen aliqua publica forma celebrationis.

N.B. In fine can. 1094, § 1 addi debet «1099», ita ut can. 1094, § 1 sic sonet: «et salvis exceptionibus de quibus in cann. 1096 ter, 1098 et 1099».

Rev.mus secundus Consultor memorat formulam quam ipse praebuit in suo voto, quaeque in 4 §§ dispescitur: 1) quinam teneatur ad formam canonicam; 2) quinam sit «catholicus», quod attinet ad formam matrimonii; 3) de forma in matrimonii mixtis: 4) de forma in matrimonii inter partem catholicam et partem catholicam orientalem.

Consultores autem praferunt ut examinetur formula Exc.mi primi Consultoris.

Suffragatur utrum placeat § 1 formulae Exc.mi primi Consultoris necne:  
Placet 6; placet iuxta modum 6.

*Modi:*

(1) dicatur «ad statutam superius formam tenentur» loco «statuta superius forma servanda est» (Rev.mus septimus Consultor):

Placet 3; non placet 8; abstinet a sententia ferenda 1.

(2) supprimatur verbum «notorie» (Rev.mus quintus Consultor):

Placet 3; non placet 9.

(3) deleantur verba «salvis praescriptis §§ 2 et 3» (Rev.mus quintus Consultor):

Placet 4; non placet 6: abstinent a sententia ferenda 2.

(4) in clausula «salvis praescriptis §§ 2 et 3» retineatur tantum salvatio § 2 (Rev.mus secundus Consultor):

Placet 10; non placet 1; abstinet a sententia ferenda 1.

(5) dicatur «deficit» loco «defecit» (Rev.mus undecimus Consultor):

Placet 3; non placet 9.

(6) addantur verba «nisi postea ad eam reversi fuerint» (Rev.mus tertius Consultor):

Placet 4; non placet 7; abstinet a sententia ferenda 1.

(7) dicatur »«Statuta superius forma servanda est si saltem alterutra pars matrimonium contrahentium est catholica, salvo praescripto § 2.

Catholicus hic censetur qui in Ecclesia catholica baptizatus vel in eandem receptus est, nec actu formali aut notorie ab ea defecit » (Rev.mus Relator):

Placet 5; non placet 7.

Circa § 2 sequentes animadversiones habentur:

(1) per normam « matrimonium autem valet, dummodo ineatur coram ministro sacro » plus requiritur quam in Decr. *Crescens matrimiorum* (Cf. AAS 59 [1967], pp. 165-166) ubi, ad validitatem, requiritur tantum « praesentia » ministri sacri (Rev.mi tertius et quintus Consultores);

(2) Rev.mus sextus Consultor vult supprimere initio verba « de qua supra », at Rev.mus Secretarius et Exc.mus primus Consultor tenent illa verba esse necessaria, quia « pars catholica » in praesenti § 2 intendi debet cum iisdem determinationibus et limitationibus factis in § 1;

(3) idem Rev.mus sextus Consultor proponit ut dicatur « ...forma servanda est ad liceitatem » loco « ...forma *supra memorata* servanda est ad liceitatem »;

(4) initio supprimatur verbum *eadem* (Rev.mus Secretarius).

Rev.mus Relator, post has animadversiones, formulam § 2 ita corrigit: « Si pars catholica, de qua supra, (sive sit ritus orientalis sive ritus latini), matrimonium contrahit cum parte acatholica ritus orientalis, forma canonica celebrationis servanda est tantum ad liceitatem; ad validitatem autem requiritur praesentia ministri sacri, servatis aliis de iure servandis ».

Exc.mus primus Consultor censet verba « sive sit ritus orientalis sive ritus latini », inter uncos posita, supprimenda esse, quia Codex hic est pro latinis.

Rev.mus secundus Consultor quaerit quid importet praesentia ministri sacri ad validitatem quidem requisita, quando sponsi pro ministro catholico optaverunt. Debet in casu adhiberi forma canonica? Vel minister ritum sacram peragere debet?

Secundum Rev.mum Relatorem mens Decreti *Crescens matrimiorum* est quod, si sponsi optant pro ministro catholico, forma canonica servanda est. Si optant pro ministro orientali, sufficit praesentia ministri sacri.

Secundum Exc.mum primum Consultorem autem semper sufficit sola praesentia ministri sacri, etiam quando sponsi pro ministro catholico optaverunt.

**Adunatio VII<sup>a</sup>**  
**die 12 februarii 1971 – mane habita**

Suffragatur utrum placeat haec formula can. 1099 § 2 necne: « Si pars catholica, de qua supra, matrimonium contrahit cum parte acatholica ritus orientalis, forma canonica celebrationis servanda est tantum ad liceitatem; ad validitatem autem requiritur praesentia ministri sacri, servatis aliis de iure servandis ».

Placet 6; non placet 1; placet iuxta modum 3.

*Modi:*

(1) omittantur ultima verba « ad validitatem autem requiritur praesentia ministri sacri, servatis aliis de iure servandis » (Rev.mus nonus Consultor):

(2) dicatur « de qua in § 1 » loco « de qua supra » (Rev.mus undecimus Consultor):

Placet omnibus.

(3) dicatur « forma celebrationis » loco « forma canonica celebrationis » (Rev.mus undecimus Consultor):

Placet 1; non placet 8; abstinet a sententia ferenda 1.

(4) addantur haec verba: « ...contrahit cum parte catholica ritus orientalis et *matrimonium celebretur ritu orientali*, forma etc... » (Rev.mus secundus Consultor):

Placet 4; non placet 6; dixerunt placet: Exc.mus septimus et Rev.mi secundus et nonus Consultores et Rev.mus Relator).

Rev.mus Relator querit num in praesentem canonem transferenda sit norma Decr. *Crescens matrimoniorum* qua Ordinariis locorum facultas fit dispensandi ab obligatione servandi formam canoniam ad liceitatem si difficultates extent quae, eorum prudenti iudicio, hanc requirant dispensationem.

Sed Consultores censem inutilem talem facultatem, cum forma canonica in casu (§ 2) teneat tantum ad liceitatem.

Praeterea Rev.mus decimus Consultor proponit ut examinetur quaestio utrum servanda sit necne forma canonica quando Orientales contrahunt cum latinis ipsa forma canonica adstrictis (can. 1099, § 1, 3º CIC).

Aliqui Consultores vellent discussionem de hac re habere et Rev.mus tertius Consultor proponit ut statuatur libertas sponsorum eligendi unum vel alium ritum pro forma celebrationis matrimonii.

Rev.mus Secretarius autem notat quaestionem rituum valde agitatam esse in iure orientali, quare opportunius illa norma omitti potest, cum mente tamen tractandi quaestionem serius, consiliis initis cum Orientalibus.

Consultores concordant cum Rev.mo Secretario et volunt ut de hac re nota apponatur in textu canonum.

Deinde examinatur formula § 3: «Quoad matrimonium mixtum inter partem catholicam de qua in § 1 et partem acatholicam sive baptizatam si-  
ve non baptizatam, si graves difficultates formae canonicae servandae ob-  
stant, Ordinariis locorum ius est, secundum quidem normas a Conferentia  
Episcoporum statutas, ab eadem forma dispensandi, salva tamen aliqua pu-  
blica forma celebrationis».

Rev.mus nonus Consultor vellet hanc normam statuere non tantum pro matrimonii mixtis, sed pro omnibus matrimonii catholicorum. Rev.mus Secretarius et Rev.mus septimus Consultor respondent in M.p. *De Episcoporum munib[us]* (IX, 17), Summum Pontificem sibi reservasse dispensationem «a forma iure praescripta ad valide contrahendum matrimonium».

Rev.mus sextus Consultor vult ut initio supprimatur verbum «mixtum». Rev.mus secundus Consultor proponit ut dicatur «...secun-  
dum normas a Conferentia Episcoporum *statuendas*» loco «statutas» et Rev.mus septimus Consultor vult ut dicatur «rite *statuendas*», ut innuatur necessitas approbationis Sanctae Sedis.

Praeterea idem Rev.mus secundus Consultor censet ultima verba «aliqua publica forma celebratonis» esse aequivoca et in praxi ex ipsis oriri posse dif-  
ficultates in foro ecclesiastico: ex. gr. quis conferre posset validitatem formae matrimonii civilis, quod est maxime inconveniens. Quoniam finis assequen-  
dus est ut vitentur matrimonia clandestina, comma ita emendari potest:  
«...salva publica celebratione de qua in foro externo constare possit».

Rev.mus Secretarius censet parum esse solam publicam *celebrationem* requirere. Melius est aliquam «publicam *formam*» requirere, quia id se-  
cundum necessitatem pro Conferentiis Episcoporum statuendi aliquem *modum* huius formae.

Rev.mus tertius Consultor animadvertisit in nostra norma, secus ac in norma M.p. *Matrimonia mixta* (n. 9), exquiri ut Conferentiae Episcopales statuant non tantum modum alicuius formae publicae celebrationis, sed etiam normas secundum quas concedi possit dispensatio a forma canonica.

Hic habetur discussio, quia aliqui putant in M.p. *Matrimonia mixta* exquiri tantum ut Conferentiis Episcoporum determinent modum alicuius for-

mae publicae, alii vero putant ibi exquiri ut Conferentia Episcoporum edant etiam normas quibus «concordi ratione ac lice» concedatur dispensatio.

Rogantur Exc.mi Episcopi praesentes ut dicant quomodo in sua regio-  
ne interpretata sit alia norma (n. 9) M.p. *Matrimonia mixta*.

Exc.mus quartus Consultor respondet in suo territorio normam intel-  
lectam esse de statuendo tantum modo alicuius formae publicae; Exc.mus  
primus Consultor vero respondet in suo territorio normam latius interpre-  
tatem esse, scilicet Conferentia Episcoporum munus habere statuendi nor-  
mas sive circa modum publicae alicuius formae, sive circa modum lice dispensandi a forma canonica.

His dictis, Exc.mus primus Consultor ita corrigit formulam § 3:  
«Quoad matrimonium mixtum inter partem catholicam de qua in § 1, et  
partem acatholicam sive baptizatam sive non baptizatam, si graves difficul-  
tates formae canonicae servandae obstent, Ordinariis locorum ius est ab  
eadem dispensandi, salva tamen aliqua publica forma celebrationis; Confe-  
rentiae autem Episcoporum est normas statuere quibus praedicta dispensa-  
to concordi ratione ac lice concedatur.

Suffragatur haec formula:

Placet 5; placet iuxta modum 5.

*Modi:*

(1) dicatur «salvo tamen aliquo publico actu celebrationis in libris a  
iure canonico praescriptis adnotandae» loco «salva tamen aliqua publica  
forma celebrationis» (Rev.mus septimus Consultor):

Placet 3; non placet 6; abstinet a sententia ferenda 1.

(2) dicatur «...ius est ab eadem *in singulis casibus* dispensandi»  
(Rev.mus sextus Consultor):

Placet omnibus.

**Adunatio VIII<sup>a</sup>**  
**die 12 februarii 1971 – vespere habita**

Rev.mus Relator quaerit num Consultores recognoscere velint totam  
materiam cann. 1100-1102, vel potius unam tantum normam praeferant  
in novo codice redigere, qua remissio fiat ad libros liturgicos, quod attinet  
ad ritum celebrationis matrimonii.

Fere omnes Consultores praferunt unicam normam qua remissio fiat ad libros liturgicos. Rev.mus Secretarius censet talem normam continere debere non simplicem remissionem ad libros liturgicos, sed formale praeceptum servandi normas in libris liturgicis contentas, quia non omnes illae normae habent vim legis. Ex. gr. in novo *Ordo celebrandi matrimonium* a Sancta Sede nuper promulgato, habentur *praenotanda* (nn. 1-18) quae non videntur vim legis habere.

Exc.mus quartus Consultor autem retinere vellet etiam can. 1101 CIC. Rev.mus secundus Consultor vero proponit ut praeter normam generalem, qua remissio fiat ad libros liturgicos, alia norma conficiatur, qua detur facultas Conferentiis episcopalibus exarandi ritum proprium matrimonii, ad sensum n. 17 novi *Ordo celebrandi matrimonium*.

Rev.mus Relator, attento voto fere unanimi Consultorum necnon attentis propositionibus Rev.mi Secretarii et Rev.mi secundi Consultoris, hanc formulam can. 1100 proponit:

«§ 1. In matrimonii ceelebratione serventur ritus in libris liturgicis, ab Ecclesia probatis, praescripti aut laudabilibus consuetudinibus recepti.

§ 2. Conferentiae Episcoporum facultatem habent, probante Sede Apostolica, exarandi ritum proprium matrimonii, congruentem locorum et populorum usibus ad spiritum christianum aptatis, firmo praescripto can. 1094, § 2».

Rev.mus Secretarius censet supprimenda esse verba § 1 «aut laudabilibus consuetudinibus recepti», quia consuetudines a Codice supprimuntur.

Rev.mus secundus Consultor autem dicit illa verba retineri posse, quia consuetudines semper servari debent iuxta normas generales de consuetudine in Codice statutas.

Rev.mus tertius Consultor concordat cum Rev.mo Secretario circa suppressionem illorum verborum, attenta quoque facultate data Conferentiis episcopalibus in § 2 exarandi, scilicet, ritum proprium matrimonii congruentem locorum et populorum usibus.

Deinde suffragatur utrum placeat § 1 formulae Rev.mi Relatoris necne:

Placet 4; placet iuxta modum 6.

*Modi:*

(1) initio dicatur: «*Extra casum necessitatis*, in matrimonii celebratione etc...»:

Placet 9; non placet 1.

(2) supprimantur verba «...et laudabilibus consuetudinibus recepti»: Placet 1; non placet 9.

(3) Addatur in fine: «vel particulari iure legitime introducti» et supprimatur § 2:

Placet 4; non placet 6.

(4) Dicatur «legitimis consuetudinibus» loco «laudabilibus consuetudinibus»:

Placet 6; non placet 3; abstinet a sententia ferenda 1.

Deinde suffragatur utrum placeat § 2 necne:

Placet 5; non placet 1; placet iuxta modum 2; abstinent a sententia ferenda 2.

*Modi:*

(1) a. dicatur «ritum particularem» loco «ritum proprium»:

Placet 1; non placet 8; abstinet a sententia ferenda 1.

b. dicatur: «singularum regionum consuetudinibus et necessitatibus aptatum» loco «congruentem locorum et populorum usibus ad spiritum christianum aptatum»:

Placet 2; non placet 8.

(2) Dicatur «firma tamen lege ut minister sacer assistens matrimonio praesens requirat manifestationem contrahentium consensus eamque recipiat» loco «firmo praescripto can. 1094 § 2»:

Placet 9; abstinet a sententia ferenda 1.

Deinde fit suffragatio utrum supprimendus sit can. 1101 de benedictione nuptiali necne:

Placet 8; non placet 1; placet cum mente 1.

*Mens* est ut notificetur haec suppressio Sacrae Congregationi pro Cultu Divino, quae quidem mens aliis Consultoribus non placet.

Adunatio IX<sup>a</sup>  
die 13 februarii 1971 – mane habita

Huic adunationi praeest Cardinalis Praeses. Discussio habetur circa can. 1102 de ritu celebrandi matrimonia mixta.

Rev.mus Secretarius censet normas M.p. *Matrimonia mixta* circa ritum celebrationis transferendas esse in novum Codicem, dum Relator censet omnes quaestiones de ritu celebrationis cuiuscumque matrimonii solutum iri per can. 1100, qui continet normam generalem de observandis legitimis normis liturgicis in matrimonii celebratione.

Fere omnes Consultores concordes sunt circa suppressionem can. 1102, dummodo in parte *De sacramentis* habeantur normae circa celebrationem missae et quoad communionem eucharisticam.

Suffragatur utrum placeat omittere normas circa ritum in celebratione matrimonii mixti necne:

Placet 7; non placet 2.

Deinde Em.mus Praeses quasdam communicationes cum consultoribus facit circa futuros labores nostrae Commissionis et circa opportunitatem seligendi aliquas partes novi iuris, circa singulas materias potioris momenti, quae a Summo Pontifice ad modum M.p. promulgari possint. Quae quidem promulgatio bono Ecclesiae provideat, restaurando disciplinam canonicam, et simul quamdam experimentationem legislatori praebeat pro definitiva promulgatione novi Codicis.

Deinde habetur aliqua discussio in qua Consultores suas sententias Em.mo Praesidi exprimunt.

Quibus dictis, finis Sessioni imponitur.

Appendix  
SCHEMA CANONUM

*Can. 1097*

Assistens matrimonio illicite agit nisi:

1° A parocho vel ab Ordinario loci matrimonii licentiam obtainuerit, quoties vi delegationis generalis agit:

2° Constito sibi de libero statu contrahentium ad normam iuris.

*Can. 1098*

§ 1. In mortis periculo si haberi nequeat sine gravi incommodo assistens ad normam cann. 1095 et 1096, matrimonium valide et licite contrahitur coram solis testibus.

§ 2. Extra mortis periculum, si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo assistens ad normam cann. 1095 et 1096 matrimonium valide et licite contrahitur coram solis testibus, dummodo prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturum.

§ 3. In utroque casu si praesto sit alius sacerdos vel diaconus qui adesse possit, vocari et una cum testibus, matrimonii celebrationi adesse debet, salva coniugii validitate coram solis testibus.

*Can. 1099*

§ 1. Statuta superius forma servanda est, si saltem alterutra pars matrimonium contrahentium in Ecclesia catholica baptizata vel in eandem recepta est nec actu formaliter notorie ab ea defecerit, salvo praescripto § 2.<sup>1</sup>

§ 2. Si pars catholica, de qua in § 2, matrimonium contrahit cum parte acatholica ritus orientalis, forma canonica celebrationis servanda est tantum ad liceitatem: ad validitatem autem requiritur praesentia ministri sacri, servatis aliis de iure servandis.

<sup>1</sup> Quinque Consultores (contra quinque) vellent eximere a forma canonica baptizatos in Ecclesia catholica *qui extra eam educati fuerint*.

*N.B. De obligatione servandi formam canonicam quando orientales contrahunt cum latinis ipsa forma adstrictis (cf. CIC. can. 1099, § 1, 3º), Consultores censuerunt quaestionem serius tractandam esse, consiliis initis cum Orientalibus.*

§ 3. Quoad matrimonium inter partem catholicam de qua in § 1, et partem acatholicam, sive baptizatam sive non baptizatam, si graves difficultates formae canonicae servandae obstent, Ordinariis locorum ius est ab eadem in singulis casibus dispensandi, salva tamen aliqua publica forma celebrationis; Conferentiae autem Episcoporum est normas statuere quibus praedicta dispensatio concordi ratione ac licite concedatur.

*Can. 1100*

§ 1. Extra casum necessitatis, in matrimonii celebratione serventur ritus in libris liturgicis, ab Ecclesia probatis, praescripti aut legitimis consuetudinibus recepti.

§ 2. Conferentiae Episcoporum facultatem habent, probante Sede Apostolica, exarandi ritum proprium matrimonii, congruentem locorum et populorum usibus ad spiritum christianum aptatis, firma tamen lege ut minister sacer assistens matrimonio praesens requirat manifestationem contrahentium eamque recipiat.

